



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XXVIII. De Clerico Non Ordinato Ministrante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

IN TIT. XXVII. DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO,
VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

SUMMARIA.

1. Clericus excommunicatus ministrans qualiter puniatur.
2. Et quid si minori tantum excommunicationi sit obnoxius.

Arguuntur deinceps vitia, quæ Clerici peculiariter committunt circa sacros ordines & eorum ministeria: ut si quis Clericus, sciens (nam si id ignoranter agat, & non sit crassa vel supina & erronea ignorantia, sed probabilis, minus est periculi, *c. Apostolica 9. & cap. illud 5. hoc tit.* juxta illud, *Misericordiam merui, quia ignorans feci*) se censura aliqua Ecclesiastica sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti implicatum esse, manus sui Ordinis, quo iniatus est, præsumat exequi, irregularitatis poenam incurrit, *cap. Medicinalis De sent. excommunic. lib. 6. d. c. Apostolica, Gloss. in cap. Clerici 3. ad V. moniti hoc tit.* Quinimodò excommunicatus, si pergat rem divinam facere, & ab officio deponitur & bene-

ficio, *d. cap. Clerici d. c. Fratemitatis, d. cap. Illud hoc tit.* ubi punitur, qui per solum tumorem acceperat se à superiori fuisse excommunicatum. Porro si ne sic quidem monitus desistat, modis omnibus excommunicatus curia seculari traditur, ut vadat in exilium, *cap. Si quis presbyter 2. hoc tit. †* Sed prædicta accipienda sunt de majori excommunicatione: nam si tale quid faciat, qui minori tantum est obnoxius, & quam mortale peccatum secum adducit, licet graviter peccet, ut textus ait, nullius tamen irregularitatis notam incurrit, *cap. Si celebrat fin. hoc tit.* Ratio diversitatis, quod minor excommunicatio, quamvis reddat quempiam incapacem Sacramentorum, non efficiat tamen idoneum ministrum. Et hoc est, quod ait Pont. in *c. Quasitum sup. De cohabit. Cleric. & mulier.* quod mortaliter peccantes, ut fornicarii, quamvis quoad seipsos, non tamen quoad alios sint suspensi, quibus ob id Sacramenta possunt administrare, nisi peccatum penitus sit notorium, sive per sententiam, sive per confessionem, sive per rei evidentiam, ut jam non sit locus tergiversationi.

IN TIT. XXVIII. DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

Canif. lib. 1. tit. 7. §. 20.

Peccant etiam illi, qui ordinis alicujus ministerium audent exercere, quo non sunt insigniti: ut si simplici tonsurâ, qui primus est Clericorum character, *cap. fin. De Clerico conjug. vel minoribus ordinibus tantum imbutus, functionem Diaconi vel sacerdotis subeat: proinde*

efficitur irregularis, deinde repellitur à susceptione illius ordinis, cujus ministerium interceptum, *cap. 1. & 2. hoc tit.* ubi textus tamen addit, quod misericorditer beneficium ipsi relinquatur, nec cum opprobrio totius ordinis ad secularia cogatur redire.

IN TIT. XXIX. DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO.

Canif. d. lib. 1. tit. 9.

Pari vitio laborat, qui per saltum promovetur, hoc est, prætermisso priori Ordine, vel etiam simplici tonsura, Ordinem suscipit digniorem: ut si Subdiaconus fiat immediatè Sacerdos. Quisquis enim hoc facit, constitutionem Ecclesiæ violat, qua jubetur Clericus non nisi gradatim Ordines suscipere, id est, ut insigniti

tonsura primò fiant Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acolyti (quod uno die fieri potest, *c. 2. h. tit. seq.*) deinde Subdiaconi, Diaconi & Sacerdotes, *cap. Illud nos c. In singulis 77. dist.* idque distincto ac præfinito a tatis tempore, *Conc. Trid. Sess. 27. cap. 12. de reform.* corrigens hac in parte antiquos Canones & *Clement. quæ incipit Generalem, De arate*

VIII 3

& qua-